

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0017

0015

0021

0011

0026

0006

0066

0116

0516

1016

Ende

Anfang

6

quiete in cultu Cereris, Bacchi et Veneris. Sed considerabant, vacuum esse inertiam sectari, et vitiosum, supradictis animum applicare. Idcirco rationem consulentes ardenti desiderio ad militaris dignitatis fastigia se extenderunt, non cujuscumque militiae, sed nobilioris et excellentioris, quae in hoc mundo acquiri potest. Et haec est militia sanctissimi dominici sepulchri, omnium militiarum optima et nobilissima. Et hoc potest multis rationibus [demonstrari] quae jam statim subjiciuntur.

Primo, quia militia illa est diviniore, utpote in actu virtutis patriae accepta: accipitur enim genibus flexis in actu venerationis sancti sepulchri, nec invenitur nobilis aliquis, qui dicat, se propter militiam principaliter in Jerusalem venire, sed principaliter propter venerationem locorum redemptionis nostrae, qui actus ad patriam, divinam virtutem, pertinet. Dicunt enim, et frequenter a militibus audiivi, quod si loca sancta in Jerusalem non essent, numquam, etiam si mille militias accipere ibi possent, mare transirent; sed loca sancta illos movent, ideo diviniore est haec militia, quam aliae.

II. Haec militia est sanctior, quia in sanctiori loco totius mundi confertur, hoc in loco resurrectionis Domini Jesu Christi.

III. Militia haec est spiritualior, quia non confertur nisi contritis et confessis et eucharistiae sacramento munitis in loco spirituali a persona (185A) spirituali et a Fratere humili.

IV. Est virtuosior, quia militia haec non est admixta vitiis. Aliae enim militiae habent aemulationem, iram, invidiam, superbiam et plura alia vitia annexa; haec autem quantum est in se, tota est virtuosa.

V. Haec militia est decentior. Valde quippe bene decet, ut Christianus, miles esse volens, in illo campo militiam accipiat, in quo rex suus contra potentissimum praevaluit. Dico autem regem nostrum Christum, et campum Golgatha locum, in quo diabolus prostravit.

VI. Militia haec sancti sepulchri purior est et mundior, et innocentior, nullo enim humano sanguine inquinatur sicut aliae, quae ut communiter sunt immundissimae, quia dantur quando grandis instat sanguinis effusio humani. Et quod his